

cantur fratres, adveniunt populi, personat silva voces, et venerabilis illa nox luminibus copiosis et claris laudibusque sonoris et consonis et splendoris efficitur et solemnis. Stabat vir Dei coram præsepio pietate repletus, respersus lacrymis, et gaudio superflusus. Celebrantur missarum solemnia super præsepe, levita Christi Francisco sacrum evangelium decantante. Prædicat deinde populo circumstanti de nativitate regis pauperis, quem cum nominare vellet, puerum de Bethlehem præ amoris teneritudine nuncupabat. Miles autem quidam virtuosus et verax, qui propter Christi amorem seculari relicta militia, viro Dei magna fuit familiaritate conjunctus, dominus Joannes de Græcia, se vidisse asseruit, puerulum quemdam valde formosum in illo præsepio dormientem, quem beatus Pater Franciscus ambobus complexans brachiis, excitare videbatur a somno. » Addi S. Bonaventura fenum hoc præsepi a populo reservatum, multos brutorum morbos sanasse, et pestes depulisse.

Præterea ut pauperem puerulum vestiamus et alamus, quod si ejus nomine pauperibus necessaria suppeditemus. S. Vincentius, serm. de nativitate Domini refert pium quemdam mercatorem Valentiae solitum fuisse singulis annis in die natali Domini ad honorem Jesu, Mariæ majorem, etc.

AUCTARIUM.

CONCIO I.

CHRISTI NATIVITAS CORDI NOSTRO IMPRIMENDA.

Quædam consideranda circa nativitatem Domini. — I. Quis est qui ad nos venit? — II. Ad quos venit? III. Quomodo venit? — IV. In quem finem ve- nit?

THEMA.

Transeamus usque Bethlehem, et videamus hoc Verbum, quod factum est. Luc. II.

Pietate ac doctrina vir insignis, Ludovicus Granatensis, conc. III. in natali Domini affirmat pretiosam et inusitatæ magnitudinis margaritam fuisse repartam in corde Margarite virginis, cui a Castello, Italæ urbe, nomen erat; postquam ea defuncta est in eo porro unione apparuisse impressam præsepis Christi nati imaginem; coram illo vero ipsam virginem in genua provolutam. Causa tanti miraculi creditur fuisse, quod prædicta virgo nativitatem Christi frequenter meditari, cordique adeo suo quasi insculpere consueisset: servari unionem illum usque hodie in sa-

et Joseph invitare ad mensam pauperculam feminam, filium infante in brachio gestantem, neconon et pauperem senem, qui matrem et Filium comitaretur. Quod obsequium adeo Deo gratum fuit, ut mercatori moribundo Christus, Deipara et Joseph apparuerint dicentes: *Quia nos huc usque per annos singulos tam grato suscepisti animo in hospitium tuum, nos vicissim te in æterna tabernacula suscipimus regnaturum.*

Denique, ut proximos etiam nostros ad praepsepe Domini adducamus, quo et ipsi Christum agnoscant, venerentur et amplexentur, suasque in ulnas accipient per s. communionem. Dicamus alter alteri: *Transeamus usque Bethlehem, et videamus hoc Verbum.* Relinquamus hisce feriis ludos, jocos, comedationes et ebrietates; et serria potius agamus, quorum nos feriæ nataliæ commonefaciunt. Contemplemur Deum infantem, præsepe, fenum, pannos; quid sibi ista velint. Hujus rei gratia S. Hieronymus in Bethlehem concessit, ut juxta illud viveret, celestem vitæ rationem instituens; ad idem etiam vocavit Paulam, Eustochium aliasque Romanas matronas et virginis nobilissimas. Unde meruit ut etiam mortuus juxta præsepe Domini, quod tantopere amat, repositus conquiesceret, Romæ ad S. Mariam majorem, etc.

IN FESTO NATIVITATIS CHRISTI.

enim est imperator, ibi et aula ejus; ubi Deus, ibi et cœlum. Atque ita sane loquitur Clemens Alexandr. adhort. ad gentes: *Terram mutat in cœlum Dei agricola, etc.* Magni aestimant homines, si in suam civitatem imperator transferat aulam suam; inde enim illi civitati quam plurima emerunt commoda, plurimæ dvitiae, maximus honor, nominis splendor, legatorum et nobilium confluxus, gratiosa spectacula, gratia et privilegia, etc. Quid non putamus Dei Filium detulisse secum in terram, quando ad eam inclinavit cœlos? Hinc jam non mirum, toties Ecclesiam militantem appellari *regnum cœlorum* ab ipso Christo: non mirum in ipsa reperiri privilegia et gratias plane cœlestes, panem angelorum, viros sanctos, angelorum cum hominibus commercia, virtutes plusquam humanas et angelicas, sacerdotes cœlesti et plusquam angelica potestate consecrandi eucharistiam et dimittendi peccata præditos, sacramenta divina, doctrinam et dogmata cœlestia, conversationem religiosorum angelicam, tot in mundo tempora et monasteria, plurima passim miracula, etc. Hæc enim omnia sequuntur Dei in terras descensum. Quantum vero est hoc, ut summus cœli imperator in hunc mundi pagum se demittere, ibique inter homines voluerit habitare! Quantum hoc nobis decus et ornamentum! Quantus honor et dvitiae! Quantam parare lætitiam debet! Sane Hebræi, quando viderunt in deserto panem mirabilem, omni dulcedine præditum, de cœlo ad se delapsum, præ admiratione exclamabant: *Manhu! Quid est hoc?* Exod. XVI. quasi dicerent: Quale hoc donum? Qualis panis in cœlo ab angelis confectus? Qui sumus nos, ut cœlestem et angelorum panem manducemus? At vero istud parum est, respectu doni illius, quod hodie percepimus, estque panis vivus de cœlo descendens, ipse Dei Filius. Qui sumus nos, ut hunc panem accipiamus? Si vel angelus unus specie visibili de cœlo ad nos venisset, missus a Deo, jure meritissimo gratulari nobis deberemus, neconon Dei clementiam maxime admirari et extollere; non secus ac Tobias cum familia sua, quando audiens Raphaëlem de cœlo ad se missum, coram se assistere, tremens cecidit in terram, et tribus horis prostratus jacens, Deum benedixit, Tob. XIII. Quid enim plus est angelum unum, an Dominum angelorum e cœlo ad nos descendere? Gentiles erant Lystrenses; hi tamen, ubi viderunt claudum a Paulo erectum, in stuporem acti, levaverunt vocem suam Lycaonice dicentes: *Dii similes facti hominibus descenderunt ad nos;* tauros quoque et coronas afferebant, ut Paulo et Barnabæ sacrificarent, Act. XIV. Errarunt quidem isti in personis apostolorum, satis tamen ostensi-

dunt nobis, quid sentire debeamus, quando cogitamus Deum in persona verissime hominibus similem factum ad nos descendisse. Mirari enim et stupere ob tantum beneficium, Deum benedicere, sacrificis et laudibus celebrare, toto pectori exultare, et calentibus lacrymis donum hoc cœleste, quod angelis stupendum est, excipere nos docet; uti fecit S. Augustinus ad fidem conversus, qui lib. IX. conf. c. VI. sic scribit, hoc beneficium expendens: *Nec satiabar illis diebus dulcedine mirabili, considerare altitudinem consilio tuo super salutem generis humani. Quantum flevi in hymnis et canticis tuis, suave sonantis Ecclesiæ tua vocibus commotus acriter? Voces illæ influerant auribus meis, et eliquabatur veritas tua in cor meum, et currebant lacrymæ, et bene mihi erat cum eis.* II. Ad quos venit et quorum gratia? Ad nos et propter nos homines, amicitiam singularem nobiscum contracturus. *Quis hie non iterum et multo magis obstupescat?* Quid enim est homo, quod memor es ejus, ait David, aut filius hominis, quoniam visitas eum? Ps. VIII. et Job. c. VII. *Quid est homo, quia magnificas eum? Aut apponis erga eum cor tuum? Visitas eum diluculo:* rursum David, Ps. CXLIII. *Quid est homo, quia innotuisti ei, aut filius hominis, quia reputas eum?* Homo vanitati similis factus est, etc. Neque solum vanitas est homo, sed præterea, quando a Deo est visitatus, Dei ipsius inimicus et omni scelere contaminatus erat. Etenim mundus eo tempore, quo Christus in terram venit, maxime corruptus erat et sceleribus immersus, ut indicat apostolus ad Rom. V. iis verbis: *Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia.* Erant enim tunc per universum orbem omnia referta Cimeris tenebris, idolatria, erroribus, superstitionibus, et quæ inde oriuntur, vitiis omnis generis immanibus: Judæi quoque plerique, qui tunc soli Dei veri nolitiam habebant, plurimis fidei tenebris et ignorantia scatabant æque ac peccatis; ita ut pauci valde inter illos recte ambularent. Quam ob causam videtur Christus nasci voluisse media hieme mediaque nocte, ut indicaret, quanta tunc in mundo sterilitas bonorum operum, quantum frigus in Dei cultu, quantæ tenebrae et ignorantiae tunc in terra forent. Quis enim media nocte tunc orabat, aliave pia opera faciebat? Omnes suæ quieti vacabant, et quam plurimi in volvatis et libidinibus per noctem se volutabant. Tunc ergo venit Christus quod bene adverit Isaías, c. IX. dicens: *Habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.* In umbra mortis habitabant, quia ut umbra corpori, ita tunc mortales proximi morti æternæ erant, tenebricosi et nigri, destituti lucis

fidei et gratia. Jam ergo ad hujusmodi homines descendit, ad impios, rebelles, refractarios; quod indicat idem Isaías, c. VII. quando impio et contumaci regi Achaz obtulit Deus miraculum, in signum liberationis ab hostibus, ipsi concedenda; et responenti ac dicenti: *Non petam, nihilominus dedit dicens: Propter hoc (quia scilicet Deum assidua verba impietate irritatis, et auxilio ejus diffiditis) dabit Dominus ipse vobis signum: ecce Virgo concipiet et pariet filium*, videlicet Messiam. Non ita sane mundus agit, qui perduellibus et præfractis omnem gratiam subtrahit ne dum ut in se illorum miserias suscipiat, aut pro ejus liberatione aliquid expendat. Patet exemplo Mauritii imperatoris, qui cum expertus esset milites suos, contra Chaganum missos, crebras sediciones movisse, et in parendo contumaces fuisse, ideoque non semel hosti succubuisse, postea ab eodem Chagano in prælio captos supra 12000. noluit redimere, licet hostis pro singulis nonnisi singulos nummos, ac demum dimidios tantum postularet; sed permisit eos hostili gladio omnes enecari, ut refert Cuspinianus. Quando hic imperator ad suum militem liberandum in Pannoniam descendisset, qui nec obolo quidem redimere eum voluit? Verum quidem est, succensum id ipsi fuisse, quia avaritiam et crudelitatem sapiebat; at nequaquam succenseri poterat Deo, si humano generi, quod ei toties rebelle contumaciter repugnat et imperia detractarat, seque ipsum temere hostili gladio exposuerat, nullum prorsus auxilium aut redemptionis lytrum, ne dicam proprium Filium liberatorem misisset. Certe Elias evocatus e monte Carmeli ad Ochoziam regem, qui patrem Achab secutus, deos alienos sectatus erat, ut vitam et sanitatem (juxta opinionem Abulensis) ipsi impetraret, noluit descendere, sed semel et iterum duas militum cohortes (utique rege idololatra nihilo meliores) ad se missas, igne cœlesti perdidit, ac tertio quidem descendit; sed nonnisi mortem regi annuntiavit, IV. Reg. I. At non ita cum genere humano egit Deus; sed e cœlesti suo habitaculo, etiam non vocatus, descendit ad rebelles, impios et refractarios mortales, ut salutem et liberationem ab æterna morte eis impertiret. Quis hanc tantam dignationem et clementiam satis admiretur et dignis extollat laudibus? Non petierunt illi signum, quo redimerentur; neque suis precibus evocarunt liberatorem; quin potius contra nitendo, quasi dixerunt: *Non petam*. Nihil tamen hoc obstante, ecce dedit eis signum, maxime stupendum: ex Virgine Salvatorem.

III. Quo modo venit? Prorsus admirando. Primo, in carne humana et passibili, morti et dol-

ribus, aliisque miseris, frigori, astui fami, siti, lassitudini obnoxia. Poterat sane Dei Filius venire ad nos in corpore assumpto, quale efformant sibi angeli, nullius passionis capaci; poterat in glorioso, et quidem jure optimo, cum originali culpa vacaret, et animam beatam ac glorificatam haberet. At non ita venit, sed in corpore passibili, ut miserias nostras degustare, sive infirmitatibus nostris compati, ac demum liberius ac confidentius nobiscum agere posset. Typum in hac re suum præmisit Moysen, qui cum in monte Sinai ex consortio Dei splendidam nactus esset faciem, ita ut Hebræi non possent in eam intendere, (II. Cor. III.) possit velamen super faciem suam, ut liberioris colloquii daretur ei copia, Exod. XXXIV. Sic enim et ipse Christus Dominus velum carnis humanæ passibilis obduxit gloria suæ: quia si in glorioso corpore ad nos venisset, non potuisset cum ipso tam libere conversari aut splendorem ejus ferre, nec ipse pro nobis ad justitiae rigorem satisfacere. Quemadmodum ergo David non in thorace æneo Saulis, sed in rusticano suo sago cum Goliatho congreedi voluit; ita et Dei Filius in passibili corpore ad prælium descendit contra diabolum: *Habemus ergo pontificem, qui possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia*, ad Hebr. IV.

Secundo, in corpore infantili primum, more aliorum hominum. Quis et hoc non admiretur? Poterat enim mox perfecti viri corpus assumere, quale Adam a Deo accepit a Deo efformatum: sed magis ei placuit corpusculum infantile; tum ut per omnia fratribus suis assimilaretur, (Hebr. II. XVII.) sive dulcius et tenerius nos a amore suum traheret, nec quisquam ab eo jam refugeret, quem non gladio armatum, nec viribus pollentem, sed plane debilem, suavem, et infante cernimus; tum ut salutis nostræ negotium tractare a teneris inciperet, lacrymando, patiente, obediendo et permittingo se aliorum manibus alligandum, infasciandum, cibandum tametsi quoad mentem et intelligentiam aliasque doles vir jam perfectus esset; tum denique ut nobis ab ipsis incunabulis, humanitatis, patientiae, mortificationis et obedientiae præclarissima exempla daret, adeoque id doceret quod postea edidit: *Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum*, Matth. XVIII.

Tertio, in summa paupertate; quæ appareat ex alieno eoque vilissimo tugurio, ex præsepi et substrato feno, ex vilibus panniculis, et defectu famulae et obstetricis, cuius vicem obire ipsa ejus mater debuit. Nimurum sicut pauperes defectu supellectilis rem eamdem ad plures usus adhibent; lodice pro pallio, tunica pro culcitra, scam-

no pro lecto, trunko pro mensa utuntur: sie etiam Salvator noster stabulum pro domo, præsepe pro lecto, fenum pro plumis, pannos pro indusiolo, halitum bovis et asini pro foco accipit; licet totius mundi Dominus esset, quod profecto summe admirandum. Sed nimurum voluit nos docere sanctum et salutarem aulicismum, eligens in mundo postremum locum (sicut etiam postea verbo docuit Luc. XIV.) nobis relinquens honoratiorem: ipse intrare stabulum, cedere aliis diversorium. Cujus etiam rei typum præmisit in area federis, quam usque ad structuram templi permisit habitare sub pellibus, II. Reg. VII. (quod non sine dolore sensit David, dicens ad Nathan: *Vides ne quod ego habitem in domo cedarina, et arca Dei posita sit in medio pellium?*) et postea quoque in templi obscurissimo et angustissimo loco, adeoque in caligine, III. Reg. VIII. Ita enim sibi angustum et obscurum in hoc mundo de legit locum, nobis laxum et lucidum permisit, ut observat Theodoreetus. Denique, paupertatis mundo prius exosæ, præclara bona et commoda nobis commendare, divitiarum vero pericula demonstrare voluit.

IV. Quem in finem venit? Non sane propter se aut ullum suum commodum, cum nullius indigeret, ditissimus in seipso, sed ut nos ditaret. Alii reges veniunt ut tributa a subditis accipiant, aut poena a reis exigant, aut sua voluptati operam dent. Non ita Dei Filius, sed *factus est principatus super humerum ejus*, ait Is. c. IX. de Christo nato loquens. Non posuit principatum suum super humeros subditorum, ut faciunt alii fere principes, sed potius onera nostra super humerum suum, poenas nobis debitias in suo corpore luiturus. Videlicet genus humanum (in parabola illius hominis, Luc. X.) descendisse ab Jerusalem in Jericho, culpa quidem ac temeritate sua incidisse in latrones, ab iisque miserum in modum esse non despoliatum modo, sed etiam plurimis vulneribus undique concisum, adeoque morti proximum. Misericordia igitur motus, descendit de equo gloria sue, et impo-suit id in jumentum, corpus scilicet suum, ut sanitati restitueret. Sed non explicat parabola illa, quantum illa sarcina gravarit ac sauciarit dorsum corporis Christi. Hoc igitur exemplo istud explicemus. Accedit superiore sæculo, anno 1542. ut Saxonæ dux Mauritius profectus in Turcas, juvenis animosus e castris quodam die progressus, uno solo comitante ephebo velut armigero, cum in Turcas aliquot irruisset, manus consiceret, eoque confosso in terram effunderetur. Ita inter strictos Turcarum acinaces dum jacet, ephebus ejus fidelissimus toto corpore super eum

incubuit, jacentemque protegens, tantisper hostem sustinuit, donec equites supervenire, qui principem eriperent. Ipse famulus, multis vulneribus acceptis, in castra relatus non multo post interiit. Refert Sleid. I. XV. auctor alioquin de catholica fide male meritus. Fuit sane genus humantum simile huic principi; sua enim culpa et temeritate incidit in hostes suos captales, dæmones, a quibus equo gratiae excussum et pessime muletatum, nonnisi presentissimam mortem inter eorum manus exspectabat. At ecce tibi, Dei Filius de celo delapsus, super id incubuit, dum carnem nostram suscepit, et in suo corpore tot vulnera exceptit, quot postea in passione inflicta ei fuere. Sic ipse quidem nos servavit, suam vero vitam interim amisit. Quis hoc tantum beneficium satis prædicabit? Quod ephebus ille fecit, jure aliquo fecit, utpote servus domino. At quis unquam audiit, quod hoc dominus servo fecerit? Tantus præsertim tantillo? Deus homini? Facile intelligimus neque miramur, quod egit Abraham, quando pro filio suo immo'avit arietem: at quis capere posset, si, pro servando ariete, immolasset filium? Hominem pro Deo immolari decet; at Deum pro homine mori, quis non mirabitur? Hujus porro sacrificii schema jam exhibuit Dei Filius in ipso præsepio, ut bene dixerit Isaías: *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus*. Principatus crux est; hanc jam a tenebris gestare coepit, ut expendit noster Alphonsus Salmeron, in tom. de infantia Christi. « Nascitur infans ac velut idiota, qui fari nescit; passionis tempore, ut stultus ac nesciens Herodi ac Pilato respondere, deridetur: nascitur nudus coram matre; exaltabitur nudus in cruce coram omnibus. Cum oritur, locum non habet in diversorio: dum vivit, nec Jerusalem, nec alibi locum habebat, ubi caput suum reclinaret: in morte neque sepulturam propriam habuit. Rursus nascitur sub mediæ noctem, morietur post meridiem in densissimis eclipsi tenebris. Natus a matre vincitur fasciis et ligatur: verum instantè nec crudeliter manibus pedibusque funibus constringetur. Dum infans est, sinit se gestari a matre ut impotens et imbecillus: at post hæc Judeorum furore trahetur, et in alto crucis loco sustinebitur. Coepit, ubi primum natus est, vagitu et ejulatu et lacrymis genas perfundere: sed hunc planctum perfecit ac gemitum, quando ut apostolus ait: *Cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia*. Quærerit, dum puer est, peccatus matris, ut calore simul et lacte soveatur alaturque: at nudus erit in passione, atque ejus siti vehementissima acetum et fel porrigetur. Na-

CONCIO I. AUCTARII.

tus in stabulo, ioco fœtenti, reclinatur in præsepio : moriturus producitur in locum graveolentem, nempe in montem Calvariæ, et in aspero crucis lecto reclinatur. Nascitur in obedientia Augusti Cæsaris : morietur ex obedientia Pilati vicem imperatoris Tiberii gerentis. Natus inter duo animalia statuitur : acturus animam inter duos latrones collocabitur. Vides igitur quanta sit convenientia inter Christum puerum, et inter Christum virum? Inter præsepi, et crucem? Inter exordium vœ, et finem?

Ad hæc venit ut novam vivendi normam nobis præscriberet, et in seipso primum velut in exemplari delinearet. Idcirco enim, Isa. IX. nomen Christi nati dicitur futurum: *Pater futuri sæculi*, quia Christianos, novos scilicet homines, ad novam vivendi rationem et sanctitatem futuri sæculi erat instituturus. Factus quidem erat ad imaginem Dei homo; sed quia astu dæmonis fœdrat imaginem illam, nec decebat ut prorsus perire, ideo reformatore eguit. « Ut enim forma aliqua, ait S. Athanasius, lib. de incarn. Verbi, in tabulis depicta, sordibusque aliunde objectis, oblitterata instaurari nequit, nisi ejus præsentia adhibeatur, ad cuius speciem primitus tabula depicta fuit; eodem modo undecumque ille bonus Patris Filius, imago et charactere Patris ad regiones nostras profectus est, ut hominem ad suis similitudinem factum denuo resiceret. » Hoc autem mox ab infantia Christus agere cœpit, quando se in præsepio spectandum exhibuit tam pastoribus quam regibus, tam pauperibus quam divitibus. Ibi enim videre est exemplar humilitatis in ejus præsepio; paupertatis, in ejus stabulo; obedientiae, in ejus fasciis; patientiae, in fœno et in rigore hiemis; contemptus mundi, in alieno territorio. Ibi in vili tñgurio damnat insana mundanorum ædificia: in fœno et præsepi, aureos eorum lectos mollitus refertos: in vilibus pannis vestium splendorem: in suis lacrymis, immoderatos risus: in parvo lacte, lauta convivia: in fœtore stabuli, suaves susfitus et vestium odores: in bove et asino, pravas societas. Hic porro est rex noster, cuius exemplum sequi jure meritissimo subdit debarent. Surgeant alioquin Ninivitæ in judicio et accusabunt eos; siquidem ipsi videntes regem suum ad prædicationem Jo-næ surgere de solio suo, et abjicere vestimentum a se, indui sacco, et sedere in cinere: mox etiam ipsi regis exemplum secuti: *Prædicaverunt jejunium, et vestiti sunt saccis a majore usque ad minorem*; et peruenit (hoc est, quia peruenit, ut ibi explicat Cornelius) verbum ad regem, Joan. I^o. A rege igitur ad subditos derivata est pœnitentia. Quid jam faciant Christiani, viso exemplari suo,

rege suo, qui de cœlesti solio suo surgens neglecta ueste gloriæ suæ, induit se pannis, reclinavit se in fœnum et præsepe? Denique, ad hoc de cœlo venit, ut nos in cœlum eveharet et assumptis miseriis nostris, cumularet ac ditaret bonis suis. Regis filius Jonathas, ut amore suum erga Davidem demonstraret, expoliavit se tunica et vestimentis suis, usque ad gladium, arcum et balteum suum, I. Reg. XVIII. Pastorculus erat David et pastoriis indutus uestibus, quare non satiis firma fidaque videbatur futura amicitia inter filium regis et pastorem. Itaque ut eam firmaret ac sancret Jonathas, spoliavit se ornamentis suis, iisque Davidem induit, ut quasi alter Jonathas fieret. Idem egit Dei Filius cum humano genere: spoliavit enim se ornamentis gloriæ suæ et nudavit se in præsepi, usque ad indusiolum, deditque illi tunicam gratia, vestimenta virtutum suarum, gladium verbi Dei, arcum orationis ad jaculandum in cœlum et impetrandum omnia in nomine ejus, ipsum denique balteum (qui erat insigne et gloria militis) gloriæ suæ cœlestis et paternæ hæreditatis. Sed quis impulit Jonatham, ut adeo nudaret et Davidem ornaret? Non nisi amor, quia *diligebat eum ut animam suam, et conglutinata erat anima ejus animæ Davidis*. Idem ut Dei Filius homini impertiret, impulit eum amor. Amor similes facit, et sua amato communicat, ut patet in conjugibus: idem erga hominem efficit in Dei Filio. Amor captivam facit voluntatem, intellectum quasi cœcat et insanire facit: idem dixerit aliquis effecisse in Dei Filio. Quis enim non captivum videt in præsepi? Quis non putet insipientem, utpote amore nostri factum infantem, pauperem, nudum, miserum? Vere igitur dicere poterat illud apostoli, II. Corint. XII. *Factus sum insipiens, vos me coegistis*. Cur insipiens, Domine? Quia vilem et sordidum pastoreculum adeo amasti, quasi animam tuam, ut ejus miserias assumeres, tuas opes ei donares. Vulgo dicitur: *Quisquis amat ranam, ranam putat esse Dianam*. Ranam amasti Domine, et hanc ranam putasti esse Dianam.

Nunc igitur, auditores, considerate quid vicissim vos Dei Filio debeatis, tanto amatori vestro. Et quid, nisi amorem reciprocum? Sane agnovo David quid Jonathæ suo deberet, ideo viciissim tenerime eum amavit, adeo ut dum sibi in multo amplexu ambo valedicerent, ambo quidem flerent, David autem amplius, I. Reg. XX. Ejus quoque amorem adeo cordi suo impressit, ut mortuo etiam impenderet, parentando multis lacrymis, posteris quoque ejus benefaciendo. Ergo et nos pariter imprimamus pectori nostro Jonatham nostrum, Dei Filium amore nostri nuda-

IN FESTO NATIVITATIS CHRISTI.

tum, et in præsepi positum. Sit hic amor et memoria, velut margarita in corde nostro jugiter reposita, infixa et impressa.

CONCIO II.

GAUDIUM HODIERNI DEI EX NATO SALVATORE.

I. Quia uatus est nobis redemptor. — II. Natus fidejussor. — III. Natus coelestis medicus. — IV. Natus mundi sol. — V. Natus viæ dux. — VI. Natus mundi auctor. — VII. Natus princeps pacis. — VIII. Natus Salvator.

THEMA.

Evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Salvator mundi. Luc. II.

Sanctus ille et Seraphicus Franciscus singulari devotione non tam ferebatur, quam rapiebatur erga hodiernam festivitatem, adeo ut cum solem oriri et prodire ex aurora cerneret, mirifice lætaretur, quod in illo imaginem quamdam et effigiem Christi ex Virgine Maria nati, expressam intueri sibi videretur. Quinetiam fertur in ipsa nativitatibus Christi nocte non exiguum frumenti mensuram per agrum disseminasse, ut aviculæ mane surgentes eo vescentur, Christique nati laudes suo modo libentius atque liberius decantarent, uti refert noster Alphonsus Salmeron, tom. III. tr. XXXIV. Movit ad hoc, ni fallor, virum sanctum cantus ille angelorum, quasi cœlestium avicularum, Christi laudes hodie suaviter canentium, et communem orbi lætitiam suo cantu nuntiantum. Non tam enim sibi quam hominibus applaudebant, quorum gratia Christus natus est, ut suo illo plausu omne hominum genus ad communem invitarent aplausum. Quid jam igitur nos, auditores? Non etiam exultabimus et una cum ss. angelis, immo plusquam angeli, laudes Deo canemus? Nemo nostrum sit lætitiae hujus exsors. Nostrum enim magis quam angelorum est hoc festum: nostrum est cantare et jubilare, non avicularum. Quod ut libentius ac liberius faciat, spargam vobis semen et pabulum, ex quo intelligatis, quis et quantus sit, qui vobis natus est.

I. Natus est vobis hodie redemptor, qui eripuit nos de servitute dæmonis ac peccati, omnium durissima. Quanto gaudio perfunderetur vir præsentim nobilis, captivus apud Turcas, præsentissimam mortem semper expectans, si quis ad ipsum penetrans per medium Turciam, lytro eum redimeret, et in patriam reduceret? Afflictissima fuit Hebreorum servitus in Ægypto, qua a rege novo et tyrannico premebantur et op-

primebantur operibus lutti et laterum faciendo rum, palærum insuper conquirendarum, omni que famulatu alio, quo velut mancipia et jumenta occupabantur, interim crebro objurgabantur, et in fine laborum sepe flagellis cædebantur.

Ægyptus, inquit D. Hieronymus, Ezech. XXIX.

Hebraice Misraim, et in lingua nostra vertitur coangustans et tribulans, recte proinde mundum hunc

significat, in quo novus ille rex, super omnes

filios superbiæ, qui nescit Joseph, hoc est, Salva-

torem nostrum edit, pressit humanum genus sub

peccati servitute dementando et fallendo suis res

ponsis et oraculis, proponendo et persuadendo

fictitious deos, rapiendo in communi hominum

cursu in impetu ad varias superstitiones, impel-

lendo in quavis vitiis, unde emergendi modus vix

patebat, denique peccato semel obstrictos, firmi-

ter retinendo, quoad in fine laborum et vite pœ-

nas darent et scorponibus inferni cæderentur.

Quemadmodum etiam Pharao masculos Hebreo-

rum omnes necari præcepit, ita etiam laborabat

dæmon, ut sub illa servitute opprimeret et exter-

minaret, si quis essent masculo animo, ad redar-

guendos aliorum errores: quales inter Judæos

erant prophetæ, inter gentiles vero Anaxandrides,

qui cum Athenienses argueret, quod optimas qui-

dem leges haberent, sed uterentur pessimis, fa-

me enectus est, teste Suida. Deinde, Socrates, Se-

neca et similes, quos e medio per tyrannos sus-

tulit, quod perversos aliorum mores corrigerent,

nec erant, qui alios ab erroribus avocare, et ad

veritatem ac virtutem reducere, etiamsi possent,

auderent, postquam tam altas radices egerat im-

pietas: suffocabat denique spiritum, et fovebat

carnem ejusque concupiscentias. Ac licet essent,

qui virtutem amarent ac sectarentur aliquando;

ea tamen vera et solida non erat, sed inanis pa-

lea, gratia humore et merito destituta, ventoque

vanæ gloriæ (cum veram et æternam ignorarent)

exposita et abrepta. Ergo quemadmodum Hebrei

in illa servitute vociferabant ad Deum, ut ab

illa tandem eriperentur, neque frustra; nam libe-

ratorem, seu ut S. Stephanus, Act. VII. appellat,

redemptorem, Moysen nati sunt, qui ex illo er-

gastulo mira et divina potentia, superato Pha-

raone, eduxit eos in terram lacte et melie manan-